FRANCISCI GIANPIETRI

EPISTOLA

AD

DONATUM THOMASIUM

MARCHIONEM AMPLISSIMUM.



NEAPOLI
Ex Officina ANGELI TRANI.

MDCCCXVI.

EXCELLENTISSIMO, AC SPECTATISSIMO VIRO

DONATO THOMASIO

GRATIAE, JUSTITIAE, ET ECCLESIASTICARUM RERUM

MINISTRO SAPIENTISSIMO etc.

FRANCISCUS GIANPIETRI PRAEFECTUS URBI.

Si quid unquam fuit, Thomasi praeclarissime, in quo omnes sollertiae nervos intenderim, illud profecto fuisse fateor, quod jussu tuo perficiendum aggressus sum, nempe deperditos tres Bibliothecae Regiae Codices praestantissimos reperire, qui Constitutiones Regni nostri continebant a Frederico II. Imperatore opera Petri de Vinea collectas. Enimvero stimulos admovebat tum Regis sapientissimi voluntas, qui aegre illo-

rum desiderium ferebat, tum spes, curaeque tuae, quas adhuc irritas dolebas, tum denique rei ipsius praestantia, quae publica commoda, et decora spectabat. Namque ex tribus Codicibus alter erat insignis ille, qui per Sixtum Reissingerum anno MCCCCLXXV. editus exemplaria superiora innumeris σφάλμασι, mendisque scatentia purgaverat, et ex Bibliotheca Patrum Carthusianorum divi Martini hujus Civitatis in Regiam Bibliothecam translatus Codicis Palatini nomine donatus fuit. Alter Graecum earumdem Constitutionum textum exhibebat ad usum Oppidorum sub Frederico adhuc ἑλληνιζόντων prolatum, qui e celebri exemplari in Regia Parisiensi Bibliotheca asservato, Regis nostri cura exscriptus, Neapolim transmissus fuerat. Tertius denique complectebatur exemplar Graeci Codicis Imperialium Constitutionum Romae in Bibliotheca Barberina prostantis.

Τόσσα ἐν μεγάροις κειμήλια κεῖτο ἄνακτος.

Quin illud etiam flebiliorem hujusmodi jacturam faciebat, nimirum quod eos praecipue Codices ad manus habuit Cajetanus Carcani Cl. Regio Typographeio Praefectus cum eorum auxilio splendidissimam, accuratamque Fredericianarum Constitutionum Editionem anno MDCCLXXXVI. publici juris fecit, aeternoque nomini Ferdinandi IV. Regis nostri invictissimi dicavit.

Quid mirum igitur si nulla sit diligentia praetermissa proximis elapsis annis vel per ipsum tunc temporis Praefectum Urbi, ut ab heredibus Francisci Danielii tam dives gaza extorqueretur? Putabatur enim (nec injuria) penes eundem Codices illos esse deprehendendos; siquidem pro certo erat tum de Regia Bibliotheca illi traditos fuisse, ut ad Fredericianam historiam contexendam praesto essent, tum, erepto e vivis Danielio, in suorum librorum indice, qui

post obitum confectus fuerat, tres ipsos Codices fuisse adnumeratos. Atqui apud heredes nec Neapoli, nec in Clementino (sic Casertanum suum praediolum Danielius vocitabat) quidpiam reperire fuit. Interim in dies vehementiori cupidine animos exardescere.

Sed hoc erat in fatis, scilicet mei muneris partes futuras hanc tibi voluptatem creandi, Regisque desiderium explendi. Namque ut primum hujusmodi mandata a te mihi commissa fuere, equidem veluti θηρευτικος κυων, arrectis auribus, praedae vestigia persequutus tamdiu sum, ut in hanc tandem inciderim, tuasque in manus laetus detulerim. Quantum vero gaudii inde perceperim, verbis sane prosequi nequeo: illud modo velim, Optime Thomasi, animo teneas, me quidquid splendoris nomini, famaeque tuae possit addi, perpetuo velis, remisque, quantum in me erit, curaturum. Eo tamen gloriae pervenit dignitas, nomen-

que tuum, ut nesciam an alia vel parvula fieri possit accessio. Cum vero sapientiae, doctrinae, virtutumque omnium viribus tuum decus firmatum sit, invidiaque majus, nihil unquam efficiet, ut de summo hoc fastigio deturbetur. Haec enim est ejus vitae ratio, quae intaminatis fulget honoribus.

Immortales igitur ago gratias, agamque dum vivam Excellentissimo Asculanorum Duci Trojano Marullo, qui mihi consuetudinis, familiaritatisque tuae primum aditum patefecit. Notae illi erant varietates temporum meorum, et quam inique in anteacta rerum perturbatione mecum actum fuerit. Quare Neapolim redux Regi amantissimo, cunctisque ordinibus acceptissimus, nihil habuit antiquius, quam meae fortunae damna rependere. Ecquid vero aliud huic consilio accomodatius, sua benevolentia dignius, mihi denique jucundius excogitare poterat, quam me tutelae, fideique tuae committere? Commisit autem ita, ut in me tuendo, et ex-

ornando nil cumulatius agi potuisset. Ab tanto patrono, atque ab his initiis mea in te observantia, et necessitudo profecta, aucta statim est recordatione, et non mediocri vinculo tum studiorum, quod ipsum est per se grave, tum eorum studiorum, earumque artium, quae, ut Tullius ait, per se ipsae eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Itaque postquam intellexi minime tibi molestum esse te a me observari, coli, diligi, nihil amplius quod aeque in votis sit, mihi erit optandum. Velim igitur tibi persuadeas, me, cum recogito superum ope mandatum tuum curasse diligenter, et feliciter perfecisse, tanta animi laetitia perfundi, quanta qui sublimi feriat sidera vertice.

Vale, Thomasi humanissime, et me ut amas, ama; utque tueris, tuere. Dat. Neap. postrid. Kal. Octob. an. MDCCCXVI.